



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Opvs Theologicvm

Mauro, Silvestro

Romae, MDCLXXXVII

Q. 185. Vtrum iniustitia sit vitium speciale.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84131](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84131)

imò teneor non reddere. Ratio est, quia expedit, ut non teneamur reddere depositum, in casu, in quo dominus repetens depositum preuidetur eo versus in damnum graue sui ipsius, vel alterius.

4. Addo, quod licet, si præcepta naturalia iustitiæ, & aliarum virtutum proponantur, non exprimendo omnes debitas circumstantias, possit eorum obligatio suspendi, vel impediri, tamen si proponantur, exprimendo omnes debitas circumstantias, eorum obligatio non potest impediri, neque suspendi, vt fufsius explicatum est quæst. 160.

5. Ad 1. distinguo maiorem: eatenus obligatio iustitiæ posset impediri, vel suspendi, quatenus alia virtus posset obligare ad oppositum eius, ad quod obligat iustitia pro circumstantijs, in quibus ad id obligat iustitia, nego: pro circumstantijs, in quibus ad id non obligat iustitia, concedo; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Virtutes sicut non possunt esse contrariæ, sic non possunt obligare ad contraria pro iisdem circumstantijs, pro diuersis circumstantijs possunt. Iustitia obligat ad depositum reddendum pro circumstantijs, in quibus ex restitutione depositi non timetur graue malum: non obligat pro circumstantijs, in quibus timetur graue malum: charitas obligat ad depositum non restituendum pro circumstantijs, pro quibus timetur graue malum: ergo iustitia, & charitas obligant ad oppositum pro diuersis circumstantijs, quod non repugnat.

6. Ad 2. distinguo maiorem: non facere id, ad quod obligamur ex iustitia, in circumstantijs, in quibus obligamur, est intrinsecè malum, concedo; in alijs circumstantijs, nego: distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Non facere id, ad quod obligamur ex iustitia, pro circumstantijs, pro quibus obligamur, est intrinsecè malum: at non facere id in alijs circumstantijs non est intrinsecè malum. Ideo in quibusdam circumstantijs non potest impediri, neque suspendi obligatio iustitiæ, ac in præcepto naturali iustitiæ dispensari non potest, ne diuinitus quidem, vt explicatum est qu. 160. At in alijs circumstantijs, in quibus non facere id, ad quod obligamur ex iustitia, non est intrinsecè malum, potest impediri obligatio iustitiæ, vt explicatum est.

QVÆSTIO CLXXXV.

Verum iniustitia sit vitium speciale?

S. Tb. quæst. 59. art. 1. & 2.

1. Videtur iniustitia non esse vitium speciale: primo, quia ratio communis, & generica omnibus, aut saltem pluribus vitijs, ac peccatis, non est vitium speciale, eo pacto, quo ratio animalis, quia est communis

omnibus animalibus, non est animal speciale: ratio etiam piscis, quia est communis pluribus speciebus animalium, non est animal speciale: sed iniustitia est ratio communis, ac generica omnibus, aut pluribus vitijs: ergo iniustitia non est vitium speciale. Probatur minor. Nam iniustitia, quæ opponitur iustitiæ legali, consistit in hoc, quod faciat contra leges, vel contra bonum commune: sed omnia vitia, & peccata sunt violationes legis, & contra bonum commune: ergo iniustitia, quæ opponitur iustitiæ legali, est ratio communis, & generica omnibus vitijs, & peccatis. Iniustitia, quæ opponitur iustitiæ particulari, consistit in hoc, vt per illam violetur ius strictum alterius; sed per plura vitia, & peccata violatur ius strictum alterius: ex. gr. violatur per adulterium, quod est peccatum contra castitatem, per homicidium, quod est peccatum contra mansuetudinem &c: ergo etiam ratio iustitiæ particularis est communis, & generica pluribus vitijs, & peccatis.

2. Secundo si dicatur, iniustitiam legalem esse, quæ violat leges, non vtrumque, sed ex proprio motiuo, per se intendens ipsam violationem legum, & iniustitiam particularem esse, quæ violat ius strictum alterius, non vtrumque, sed ex proprio motiuo, per se intendens violationem iuris, contra est, quia nemo per se intendens ad malum operatur, ideoque vt ex Sancto Dyonisio cap. 4. de diuinis nominibus docet Sanctus Thomas 1. par. quæst. 48. art. 1. ad 4. malum non agit, neque desideratur, nisi virtute boni adiunctis; sed violatio legis, ac iuris est malum: ergo homo, cum violat legem, vel ius alterius, non per se intendit ipsam violationem legis, ac iuris, adeoque in hoc sensu non datur vitium speciale iniustitiæ.

3. Tertio si ad peccatum iniustitiæ specialis requireretur, vt quis violaret leges, vel ius alterius, per se intendens violationem legis, ac iuris, sequeretur, quod qui committit adulteria, homicidia, furta, non intendens violationem iuris, sed ex incontinentia, ira, auaritia &c. non committeret peccata iniustitiæ specialis: sed hoc est absurdum: ergo &c. Probatur minor: nam peccata, quæ non sunt iniustitia specialis, non sunt specialitèr contra iustitiam: ergo ille non peccaret specialitèr contra iustitiam: quod est absurdum, & contra omnes.

4. Respondeo triplicitèr posse aliquem peccare contra iustitiam: primò in imputabiliter; secundo imputabiliter, sed ita, vt peccatum sit contra iustitiam solum priuatiuè; tertio imputabiliter, & ita, vt peccatum sit contra iustitiam, non solum priuatiuè, sed etiam contrariè. Tunc aliquis operatur contra iustitiam in imputabiliter, cum ita facit actionem iniustam, vt inuincibiliter ignoret se agere iniuste: ex. gr. cum aliquis accipit rem alienam, inuito domino, inuincibiliter ignorans, illam rem esse alienam, ac putans esse propriam

priam, operatur contra iustitiam imputabiliter, ideoque excusatur à peccato iniustitiæ. Tunc aliquis operatur contra iustitiam imputabiliter, sed ita, vt peccatum sit contra iustitiam solum priuatiuè, cum facit actionem iniustam, sciens illam esse iniustam, sed non ex motiuo, & obiecto formali contrario obiecto formali iustitiæ: ex. gr. cum quis furatur, vt ludat, vel vt faciat eleemosynam, vel vt habeat pecuniam ad viuendum intemperanter, facit contra iustitiam imputabiliter, sed peccato, quod est contra iustitiam solum priuatiuè, cum obiectum formale, & motiuum, propter quod peccat, non sit contrarium obiecto formali iustitiæ. Ludus enim, eleemosyna, & vita intemperans nō sunt obiecta formalia contraria obiecto formali iustitiæ. Tunc aliquis operatur contra iustitiam imputabiliter, & ita, vt peccatum sit contra iustitiam, non solum priuatiuè, sed etiam contrarie, cum sciens, ac volens facit actionem iniustam ex obiecto formali contrario obiecto formali iustitiæ: ex. gr. cum quis furatur, vt ampliet propriam libertatem contra ius alterius, peccat contra iustitiam, non solum priuatiuè, sed etiam contrarie: siquidem facit actionem iniustam ex obiecto formali contrario obiecto formali iustitiæ. Probatur hoc. Nam obiectum formale iustitiæ ex dictis quæst. 58. est honestas restringendi libertatem propriam, tribuendo unicuique id, ad quod habet ius: sed huic honestati opponitur contrarie commoditas, & præminentia quædam ampliandi propriam libertatem, faciendo contra ius alterius: ergo qui furatur ex motiuo, & obiecto formali ampliandi propriam libertatem contra ius alterius, facit contra iustitiam ex obiecto formali contrario obiecto formali iustitiæ, adeoque peccat contra iustitiam, non solum priuatiuè, sed etiam contrarie.

5. Hoc posito, dicendum primò: datur iniustitia, quæ est vitium speciale contrarium iustitiæ strictæ. Probatur: nam habitus agendi iniuste ex speciali obiecto formali contrario obiecto formali iustitiæ strictæ, est vitium speciale contrarium iustitiæ strictæ; sed datur iniustitia, quæ est habitus ex motiuo, & obiecto formali ampliandi libertatem propriam contra ius alterius, faciendo quæ sibi placent, licet alius habeat ius, ne fiant: hoc autem obiectum formale est contrarium motiuo, & obiecto formali iustitiæ, quod est honestas restringendi propriam libertatem conformiter ad ius alterius: ergo datur iniustitia, quæ est vitium speciale contrarium iustitiæ. Probatur minor. Nam potest quis facere iniusta ex hoc motiuo ampliandi propriam libertatem contra ius alterius; sed ex frequentatis actibus acquiritur habitus operandi similia, & ex eodem motiuo: ergo acquirat habitum faciendi iniusta ex motiuo ampliandi propriam libertatem contra ius alterius, adeoque acquirat habitum iniustitiæ, quæ erit vitium speciale.

6. Dicendum secundo: datur etiam iniustitia, quæ est vitium speciale contrarium iustitiæ legali. Probatur: nam habitus faciendi legaliter iniusta, hoc est violandi leges ex obiecto formali contrario obiecto formali iustitiæ legalis, est vitium speciale contrarium iustitiæ legali; sed datur habitus violandi leges ex motiuo, & obiecto formali contrario obiecto formali iustitiæ legalis, quod est honestas restringendi propriam libertatem iuxta præscriptum legis: ergo datur iniustitia, quæ est vitium speciale contrarium iustitiæ legali.

7. Addo, quod si, vt colligitur ex Aristotele 6. Ethic. cap. 1. & ex Sancto Thoma, quæst. 59. art. 1. in corpore, obiectum formale iustitiæ legalis est honestas restringendi propriam libertatem, & propria commoda, iuxta præscriptum legis, ad promouendum bonum commune, datur iniustitia, quæ est vitium speciale contrarium iustitiæ legali acceptæ in hoc sensu. Datur enim habitus ampliandi propriam libertatem, & propria commoda contra præscriptum legum, ad promouendum bonum proprium, contempto bono communi.

8. Dicendum tertio: habitus faciendi iniusta, abstrahendo ab hoc, quod fiant propter hoc, vel illud obiectum formale, non est vitium speciale, sed est ratio communis pluribus vitijs.

Probatur: nam ad vitium speciale requiritur, vt moueatur à speciali obiecto formali, ergo si non mouetur à speciali obiecto formali, non est vitium speciale, sed est ratio quædam communis iniustitiæ, abstrahens ab hoc, vt sit speciale vitium iniustitiæ, vel sit iniustitia, quæ moueatur ab obiecto formali intemperantiæ, aut aliorum vitiorum.

9. Dicendum quartò: iniustitia tum legalis, tum particularis, sunt vitia specialia ex parte motiui, & obiecti formalis, sed sunt vitia generalia, & communia ex parte materiæ.

10. Probatur prima pars. Nam iniustitia legalis violat leges ex speciali motiuo, & obiecto formali ampliandi propriam libertatem, contra præscriptum legum, quod obiectum formale à nullo alio vitio per se intenditur. Iniustitia particularis facit contra strictum ius alterius ex speciali motiuo ampliandi propriam libertatem contra iura alterius, quod obiectum formale à nullo alio vitio per se intenditur: ergo ex obiecto formali sunt vitia specialia.

11. Probatur iam secunda pars. Nam iniustitia legalis ex motiuo ampliandi propriam libertatem contra præscriptum legum, potest transgredi leges omnium virtutum, temperantiæ, fortitudinis &c. ac potest peccare contra omnes virtutes: sed vitium, quod ex proprio obiecto formali potest peccare contra omnes virtutes, est vitium generale ex parte materiæ, cum possit peccare in materia

teria omnium virtutum, & vitiorum: ergo iniustitia legalis est vitium generale ex parte materiæ. Proportionaliter iniustitia particularis ex motiuo ampliandi propriam libertatem contra ius alterius, potest per adulteria peccare contra temperantiam, per homicidia contra mansuetudinem &c. & est vitium commune ex parte materiæ, licet non sit omnino generale.

12. Infertur primò, quod sicut iniustitia, quæ est vitium speciale, est habitus agendi iniusta ex motiuo, & obiecto formali contrario obiecto formali iustitiæ, sic intemperantia, quæ est vitium speciale, est habitus peccandi contra temperantiam ex motiuo, & obiecto formali contrario obiecto formali temperantiæ: sed obiectum formale temperantiæ est honestas ponendi medium in delectationibus gustus, & tactus, huic autem obiecto formali contraria est iucunditas excedendi mediocritatem in delectationibus gustus, & tactus: ergo intemperantia, quæ est vitium speciale, est habitus transgrediendi mediocritatem præscriptam à temperantia, propter iucunditatem excedendi in delectationibus gustus, & tactus, puta in cibo, in potu &c. Idem dic proportionaliter de vitijs specialibus, quæ opponuntur alijs virtutibus.

13. Infertur secundo, quod quia vitia denominantur potius ab obiecto formali, quam à materiali, ideo qui peccat in materia vnus vitij propter motiuum, & obiectum formale alterius vitij, potius denominatur à vitio, propter cuius obiectum formale peccat, quam à vitio, in cuius materia peccat, licet simpliciter, & absolute denominetur ab vtroque. Ex. gr. qui furatur, vt habeat pecuniam, ex qua emat adulterium, est potius adulter, quam fur: qui adulteratur, vt furetur, potius est fur, quam adulter, licet verè vterque sit simul fur, & adulter, quia malum ex vnus defectu.

14. Dices: ergo qui furatur, vt det elemosynam, est potius misericors, quam iniustus, aut fur.

Respondeo, negando consequentiam. Bonum enim ex integra causa, malum ex vnus defectu; sed esse misericordem spectat ad bonum, esse furem spectat ad malum; ergo qui furatur, vt det elemosynam, ex defectu denominatur malus, iniustus, ac fur: ex motiuo autem honesto, ac bono, non denominatur misericors. E conuerso cum ex motiuo malo peccat etiam ratione materiæ, potius denominatur à motiuo, quam à materia.

15. Infertur tertio paucos, eosque valde scelestos peccare ex iniustitia speciali. Ratio est, quia pauci faciunt iniusta ex motiuo ampliandi propriam libertatem contra præscriptum legum, & contra aliorum iura. Vt plurimum autem homine iniusta agunt ex motiuo auaritiæ, intemperantiæ, ambitionis, iræ

&c. vt dicitur etiam in respons. ad 2. Ideo Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 59. art. 2. ad 2. dicit. *Ad secundum dicendum, quod non est facile cuiquam facere iniustum ex electione per aliquid per se placens, & non propter aliud, sed hoc proprium est habentis habitum, vt ibidem (hoc est 5. Ethic. cap. 4. 9. & 16.) Philosophus dicit.* Quia raro homines peccant ex iniustitia speciali, existimo, quod cum quis fecit iniusta ex speciali motiuo iniustitiæ, in confessione tenetur id explicare. Ratio est, quia circumstantia motiuo constituit peccatum in specie vitij specialis; & cum raro in peccatis iniustitiæ detur hæc malitia, non subintelligitur, nisi exprimitur.

16. Ad 1. concedo maiorem, & distingo minorem: iniustitia in quantum abstrahit à speciali motiuo, est ratio communis omnibus, aut pluribus vitijs, concedo: in quantum facit iniusta ex speciali motiuo, est ratio communis, nego; & distingo consequens; ergo iniustitia, in quantum abstrahit à speciali motiuo, non est vitium speciale, concedo: in quantum facit iniusta ex speciali motiuo, nego. Ex dictis conclus. 3. iniustitia, in quantum est habitus faciendi iniusta, abstrahendo ab hoc, vel illo motiuo, non est vitium speciale: at iniustitia, tum legalis, tum particularis, in quantum est habitus faciendi iniusta ex speciali motiuo ampliandi libertatem propriam contra præscriptum legis, vel contra ius strictum alterius, est vitium speciale, ac non est ratio communis vlli alteri vitio; siquidem nullum vitium, quod non sit iniustitia legalis, violat leges ex motiuo ampliandi propriam libertatem contra præscriptum legis, ac nullum vitium, quod non sit iniustitia particularis, ac stricta, facit iniusta ex motiuo ampliandi propriam libertatem contra ius alterius. Licet igitur omnia vitia, & peccata violent leges, ideoque sint iniquitas, tamen non violent ex motiuo iniustitiæ legalis, sed vnumquodque vitium violat legem ex proprio motiuo, & obiecto formali; & licet intemperantia, dum committit adulteria, faciat actionem iniustam, non facit actionem iniustam ex motiuo iniustitiæ particularis, sed ex motiuo intemperantiæ.

17. Ad 2. distingo maiorem: nemo intendens ad malum, sub ratione mali, operatur. concedo: nemo intendens ad malum sub ratione boni operatur, nego maiorem: & distingo minorem: violatio legis, & iuris est malum inhonestum habens admixtam rationem boni ampliatiui libertatis contra præscriptum legis, concedo: non habens admixtam rationem boni, nego minorem: & nego consequentiam. Nemo potest amare, & intendere malum sub ratione mali, sed cum malum est admixtum bono, potest amari, & intendi malum sub ratione boni. Violatio legis, ac iuris est malum habens admixtam rationem boni ampliatiui libertatis contra legem,

gem, & contra ius alterius; ideo potest aliquis amare, & intendere violationem legis, non sub ratione mali inhonesti, sed sub ratione boni ampliatiui libertatis, acceptando malitiam inhonestatis: & violatio legis, & iuris alterius sub ratione boni ampliatiui libertatis sunt obiectum formale iniustitiæ legalis, & particularis, quæ sunt vitia specialia. Quia tamen hæc ratio boni ampliatiui libertatis habet parvam vim alliciendi ad amorem sui, ideo raro peccatur peccato iniustitiæ specialis.

18. Ad 3. concedo maiorem, quod nimirum qui committit furta, homicidia, adulteria &c. non intendens violationem iuris, non committit peccata iniustitiæ specialis, ac dico, quod solum committit peccata iniustitiæ, quæ est ratio communis, ac subalterna, ut dictum est conclus. 3. ac nego minorem, in qua dicitur hoc esse absurdum. Ad probationem minoris, distinguo antecedens: peccata, quæ non sunt iniustitiæ specialis, non sunt specialiter contra iustitiam priuativè, nego: non sunt specialiter contra iustitiam contrariè, concedo minorem; & nego consequentiam. Dupliciter aliquod peccatum potest esse contra iustitiam, priuativè nimirum, & contrariè. Peccata, quæ non sunt iniustitiæ specialis, non sunt specialiter contra iustitiam contrariè, quia non sunt ex obiecto formali contrario obiecto formali iustitiæ, sed sunt contra iustitiam priuativè, ut explicatum est in resolutione quæstionis. Effer autem absurdum, quod cum quis committit furta, adulteria, homicidia, non ex intentione ampliandi propriam libertatem contra ius alterius, non peccaret priuativè contra iustitiam, sed non est absurdum, quod non peccet contrariè contra iustitiam. Addo, quod quia raro peccatur contra iustitiam contrariè, frequentissimè peccatur contra iustitiam priuativè, cum dicitur aliquod peccatum esse specialiter contra iustitiam, nisi aliud exprimat, intelligitur, quod sit contra iustitiam priuativè.

QVAESTIO CLXXXVI.

Utrum scienti, & consentienti possit fieri iniuria?

S. Tho. quæst. 59. art. 3.

1. Videtur posse: primò, quia vendens rem alteri maiori pretio, quam valeat, licet emptor sponte consentiat, tamen facit iniuriam emptori; & tenetur ad restitutionem; ergo scienti, & consentienti fit iniuria.

2. Secundò usurarius accipiens lucrum ultra mutuuum à volente, & consentiente, facit illi iniuriã, & tenetur ad restitutionem; ergo &c.

3. Tertiò simoniacus accipiens pretium pro re spiritali à sciente, & consentiente, fa-

cit iniuriam danti, & tenetur ad restitutionem; ergo &c.

4. Quarto qui dat pecuniam latroni mortem minanti, nisi det, dat volens, & consentiens, & tamen in ipsa datione patitur iniuriam, ac latro tenetur ad restitutionem; ergo &c. Probatum antecedens: quæ enim sunt ex metu etiam iniusto, licet sint inuoluntaria secundum quid, tamen sunt simpliciter voluntaria, ut ex Aristotele, & Sancto Thoma, aliisque communiter dictum est quæst. 16. de actibus humanis.

5. Quintò vxor committens adulterium, marito volente, & consentiente, facit iniuriam marito: maritus etiam committens adulterium, consentiente vxore, facit iniuriam vxori; ergo &c.

6. Sextò index laicus iudicans sacerdotem volentem, & consentientem facit iniuriam sacerdoti. Similiter qui percutit sacerdotem volentem, & consentientem, facit illi iniuriam, & si occidat, incidit in poenam irregularitatis.

7. Septimò qui infamat alterum, etiam volentem, & consentientem, facit illi iniuriam, præsertim si infamatus sit, persona publica, & tenetur ad restitutionem famæ.

8. Octauò qui se ipsum occidit, facit iniuriam sibi ipsi, & tanquam iniustus punitur à Republica poena infamiæ, carentiæ sepulture, confiscationis bonorum: sed interficit se ipsum volentem, & consentientem; ergo &c.

9. Nonò qui occidit alterum volentem, & consentientem, imò rogantem, ut occidatur, facit illi iniuriam; ergo &c.

10. Decimò qui damnum infert pupillo volenti, & consentienti, facit illi iniuriam, & tenetur ad restitutionem; ergo.

11. Undecimò demum Martyres passi sunt iniuriam à tyrannis, licet volentes, & consentientes passi fuerint cruciatus, & mortem ipsam; ergo &c.

12. Respondeo cum omnibus Philosophis, Theologis, & Iurisperitis, scienti, & consentienti non posse fieri iniuriam, ac de ratione iniuriæ esse, ut fiat invito. Docuit id Aristoteles 5. Ethic. cap. 9. ubi ostendit neminem pati iniuriam sponte, ac Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 59. art. 3. ubi probat, quod non potest aliquis pati iniuriam volens. Idem traditur in iure, tum civili, tum canonico: si quidem in 6. de regulis iuris, regula 27. ponitur scienti, & consentienti non fit iniuria, neque dolus, & si sub eodè de titulo de regulis iuris, regula 128. est: Nemo videtur fraudare eos, qui scienti & consentiunt.

13. Probatum primò ratione, quam affert Aristoteles loco citato. Iniuria enim definitur, per quam sponte fit contra ius alterius, præter ipsius voluntatem: sed implicat, ut quod fit, altero consentiente, fiat præter eius voluntatem: ergo implicat, ut quod fit, altero consentiente, sit iniuria.

14. Probatum secundò: nam iniuria est la-